

tionem proposit aliis, adeo de meritis propriis nihil illi deperit, ut ea adhuc ob studium caritatis et misericordiae augeantur. Satisfactio enim pro alio et meritum pro se simul in eodem opere esse nihil repugnat: eo quod diversarum sint rationum, ordinantur ad diversos effectus, fundenturque in principiis seu proprietatibus actuum diversis, scilicet in bonitate et reatu poenae.

233. *Obj. IV.* Animae in purgatorio detentae pertinent ad aliud forum; ergo satisfactio per suffragia pro ipsis oblata est mera impetratio, qua Deum precamur, ut ipsis liberaliter reatum condonet: nam si Ecclesia sciret, esse solutionem condignam ex justitia effectum infallibiliter habituram, non rogaret Deum, ut suffragia pro defunctis acceptet.

*R. N. Cons.* Sufficit, illas adhuc pertinere ad idem corpus Ecclesiae, et auxiliis alienis indigere: quapropter licet judicari a nobis ultra non possint, possunt tamen adhuc juvari satisfactionibus nostris per modum suffragii, non vero ad modum sententiae. Preces Ecclesiae eatenus solum satisfactiones sunt, quatenus poenales: nam per solam impetrationem nemo fidelium animas in purgatorio suis reatus, sicut nec se ipsum immediate potest eximere. Quando autem Ecclesia Deum precatur, ut preces et suffragia pro defunctis admittat, solum poscit inspirari fidelibus desideria satisfaciendi pro eis, et eisdem applicari residuas in thesauro suo satisfactiones.

*Inst.* Satisfactiones hujus vitae non habent proportionem cum poenis purgatorii: haec enim longe alias ordinis sunt et rationis; ergo ad has expiandas illae condigne non sunt.

*R. D. Ant.* Satisfactiones hujus vitae cum poenis purgatorii non habent proportionem physicam. *C. moralem N.* Opus liberum in gratia prestitum ab homine viatore aequivalet poenis acerbioribus vitae alterius. Fructum tamen sacramenti, aut indulgentias sibi soli concessas transferre in alium nemo potest.

234. *Obj. V.* Preces et aliæ piæ actiones, quas Ecclesia per ministros peccatores pro animabus in purgatorio exsolvit, hisce prosunt; ergo etiam peccatoribus prosunt satisfactiones communicatae.

*R. D. Ant.* Preces et psalmodie ex opere operantis ab Ecclesia per os ministrorum peccatorum Deo exhibite prosunt tantum per modum impetrationis, quæ gratiam in subjecto non exigit. *C. prosunt per modum satisfactionis N. Antec. et Cons.* Solius Christi opera in sacramentis et sacrificio applicata suspenduntur peccatoribus, et iis justificatis reviviscent.

235. *Obj. VI.* Ordinum Religiosorum superiores solent quandoque hominibus extraneis communionem omnium honorum sue familie impertiri; ergo non opus est, ut suffragator libere satisfactiones proprias in alium transmittat.

*R. N. Cons.* Religiosi singuli sciunt morem illum et probant: id quod sufficit, ut illorum superiores tanquam Patres ac dispensatores universales justis ex causis possint in communionem satisfactionum et impetrationum sui ordinis alios admittere.

## ARTICULUS II.

## INDULGENTIARUM VERITAS OSTENDITUR.

236. *Nota.* Indulgentia in sensu theologicō accepta est remissio reatus poenae infallibiliter facta ex opere operato per legitimam dispensationem thesauri Ecclesiae. Dicitur 1<sup>o</sup>. *remissio*, quod vocabulum generale est, complectens actum geminae justificationis, quo indulgentiae concedi solent: nam viventibus tribuantur per sententiam absolutionis; defunctis vero non per sententiam, sed solum exhibitione pretii ex thesauro Ecclesiae, eo quod non sint amplius subditi. Sicut princeps eum, quem in sua potestate habet, e carcere eximit tam auctoritate sua, quam pretio persoluto: quem autem in potestate non habet, tantum ex aerario publico pretium solvendo liberat; ubi solum in aerarium publicum jurisdictionem exercet. Dicitur 2<sup>o</sup>. *reatus poenae*: neque enim culpa mortalی sine sacramento remitti ab Ecclesia potest; ergo per indulgentias relaxantur solum reatus poenae, non ecclesiasticæ tantum, sed etiam debite in purgatorio: alias defunctis nihil prodescent, e contra vivis forent noxiæ, quos a poenitentiis ecclesiasticis avertendo ad supplicia graviora purgatorii differunt. At neque ad tollendum poenas ecclesiasticas opus foret expendere thesaurem Ecclesiae, cum in poenitentia sacramento tolli possent. 3<sup>o</sup>. Dicitur, *ex opere operato*: nimis ut operis, ut a Christo institutum est, non vero ut ex honestate, ex merito aut satisfactione operantis proficiuntur: quo quidem in puncto indulgentiae a suffragiis differunt. 4<sup>o</sup>. *Per legitimam dispensationem*: ad quam quidem non opus est potestate ordinis, sed sufficit potestas jurisdictionis; nam et Cardinales diaconi largiuntur indulgentias. 5<sup>o</sup>. *Thesauri Ecclesiae*: ita habent summi Pontifices mox laudandi: nam justitia Dei exigit, ut nihil sine solutione debita remittatur. Nihilominus gratis fit remissio ista: quandoquidem Deus dat, unde solvamus, nempe satisfactiones Christi saltem inadæquate ad solutionem quamlibet concurrentes, sine quibus opus operatum dari nullum potest.

Potestatem dandi indulgentias olim negarunt Waldenses, Joannes Wiccleffus, Joannes Hus et Hieronymus Pragensis, ut constat ex Concilio Constantiensi Sess. 8. et 19.

Item Petrus Oxomensis, de quo supra meminimus, inter errores alios docuit, Papam non posse alicui vivo remittere purgatorium. Prae omnibus autem hisce se extulit Martinus Lutherus an. 1517. indulgentias dictitans pias Ecclesiae fraudes, aut potius imposturas Pontificum fidelibus noxias. Ad quam haeresin ipsum non tam veritatis studium, quam invidia impulit, quod provinciam promulgandi indulgentias a Leone X. concessas Albertus Cardinalis Brandenburgicus Archiepiscopus Magdeburgensis et Moguntinus Dominicanus detulerit. Luthero quoad hunc errorem adhaeserunt Zwinglius, Calvinus, et cæteri Novatores.

237. *Dico.* Datur in Ecclesia potestas concedendi indulgentias, queis remittantur fidelibus poenae pro peccatis remissis debitæ apud Deum. Thesis ista est de fide Catholica.

*Prob. I.* Christus Matth. 16. v. 19. promisit Petro claves regni celorum, et potestatem solvendi, ita ut soluti etiam sint in cœlis, quos ipse solverit in terris : quod ipsum cap. 18. ad Apostolos alios, et successores eorum Episcopos edixit. Ergo cum hæc potestas citra restrictionem Petro commissa fuerit, potest omnia solvere et amovere, quæ aditum ad cœlos prohibere possunt, cujusmodi sunt pœnæ temporales pro peccatis remissis adhuc pendæ.

Potestatem istam exercuit B. Paulus dum 2. Cor. 2. v. 10. de incesto pœnitente, quem antea Satana tradiderat, rescripsit : *Cui autem aliquid donasti, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*

*Prob. II.* Potestatem hanc constanter agnovit Ecclesia, ut constat ex TULLIANO, qui L. ad Martyres c. 1. ait, rogatu Martyrum remissas fuisse pœnitentias publice pœnitentibus, et licet L. de pudicitia c. 22. potestatem istam indulgentiarum sugillet factus jam Montanista, hoc ipso tamen ejus usum seculo secundo frequentem inter Catholicos demonstrat.

Morem eumdem pœnitentibus confessis et absolutis ad Martyrum libellos indulgendi pœnas seculo III. nobis refert S. CYPRIANUS epist. 12. et sepius alibi. Idem confirmat BASILIUS M. citatus a Photio can. 73. Nomocanonicus. S. GREGORIUS M. populo Romano indulgentias stationum concessit, ut ipsi adversarii fatentur.

Idem constat ex can. 3. Concilii ANCIRANI, (Labb. t. 1. p. 1438. E.) ex Conc. Nicaeni I. can. 11. (Labb. t. 2. p. 34. D.) et CC. Lateranensi an. 4115. Lateranensi an. 4215., ex Lugdun. generali, et generali Viennensi sub Clemente V. Clementina un. de reliquiis. Confirmaturque a Clemente VI. Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit., a Paschali II. aliisque deinceps Pontificibus, Concilium autem Tridentinum Sess. 21. cap 9. de Ref. indulgentias *cœlestes thesauros* appellat, et Sess. 25. decretum de Indulgentiis ita inchoat: *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit.* Et infra eos anathemate damnat, qui indulgentias aut inutiles esse assurunt, vel eas concedendi in Ecclesia-potestatem esse negant.

*Prob. III.* argumento dicti Clementis VI. Extat in Ecclesia thesaurus satisfactionum Christi et Sanctorum: atqui thesaurus iste foret omnino otiosus et inutilis, si per indulgentias applicari fidelibus non possit; ergo dantur indulgentiae, queis satisfactiones Christi et Sanctorum in egentes expendi possint ac dispensari. *Maj. prob.* Satisfactiones Christi sunt infinitæ; ergo quantumcumque hucusque depromptum ex eis fuerit, thesaurus illarum integer manet. Deinde innumeræ fuerunt actiones bona et ærumnosæ Sanctoru[m] , queis aliqui ipsorum non indigebant in satisfactionem suorum peccatorum, ut B. V. Maria, quæ peccati expers plane erat, aliique qui admodum innocentem et pœnitentem vitam degebant. Manent ergo satisfactiones reliquæ adhuc in conspectu Dei, et retinent vim suam, ut dispensentur fidelibus ab Ecclesia, ad cuius ærarium tanquam rei publicæ bona civium sine certo hærede decedentium ex jure gentium pertinent. Ita S. Thomas in 4. d. 20. q. 1. a 3. q. 4.

258. *Obj. I.* Ex capp. 16. et 18. Matth. tantum probatur, posse solvi fideles a peccatis et pœnis per absolutionem sacramentalem et per pœnitentiam

ibidem injunctam; ergo testimonium illud pro indulgentiis non rite adducitur.

R. N. *Ant.* Quia Christus non adstringit suam promissionem ad vinculum aliquod particulare, loquitur de potestate solvendi ab omnibus vinculis, nimirum a vinculo pœnae, vinculo excommunicationis, vinculo legis, voti, ac juramenti.

*Inst.* Est eadem potestas solvendi; ergo si culpa non solvit, nisi in sacramento, neque pœna solvi extra sacramentum potest.

R. D. *Ant.* Est eadem solvendi potestas, uno et eodem modo usurpanda ad solvendum omnia vincula N. ad solvendum vinculum quodque, prout conditio ipsius exigit C. Peccatum mortale non solvit sine infusione gratiæ: hæc vero extra sacramentum tribut ab homine non potest; at quia pœna temporalis novam gratiæ infusionem non exigit, sed hanc præsumit, nihil obstat, quo minus etiam extra usum sacramenti tollatur.

*Inst. 2.* Si omnia illa vineula a Pontificibus solvi posse probetur ex eo, quod Christus verba sua ad nullum vinculum speciatim adstrinxerit, ergo etiam poterunt solvi ab illis vineula matrimonii consummati; consequens est falsum; ergo.

R. N. *Illat.* Verba Christi tantum comprehendunt vineula solubilia: matrimonii autem consummati vinculum indissolubile esse, Christus ipse declaravit Matth. 5. v. 32.

*Inst. 3.* Ecclesia nequit solvere, quod ligare non potest: atqui reatum pœnae retinere nequit; ergo neque per indulgentias remittere.

R. N. *M.* Cujus falsitas appetet in peccatis venialibus, queis Ecclesia solvit, licet retinere ea nequeat.

259. *Obj. II.* S. Paulus tantum loquitur de absolutione a censura excommunicationis et remissione pœnae ecclesiastice: alias non dixisset, se pœnas illas cum tota Ecclesia donare; ergo.

R. N. *Ant.* Apostolus non pœnam solum ecclesiasticam, sed illam potissimum, quam incestus Deo et Christo debebat, remittit; nam ait, se illi remittere non suo aut Ecclesiæ nomine, sed in persona Christi. Verba ipsius refero: *Cui autem aliquid donasti* (h. e. donari petiisti) *et ego*, (supple, dono): *nam et ego quod donavi, propter vos* (nempe, donavi), *in persona Christi.* Quod liquet ex pœna, quam huic scelerato 1. Cor. 5. v. 4. inflixerat: *In nomine Domini nostri Jesu Christi.... cum virtute Domini nostri Jesu.* Loquitur ergo ibi de foro divino, non autem tantum de potestate illa externa politica et ecclesiastica, ut exponunt SS. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 6. (al. c. 7. opp. t. 2. p. 399. C.) Epiphanius hæresi 59, et Anselmus in hunc locum.

*Inst. 1.* Maldonatus disp. de Sacram. tom. 2. q. 3. de Indulg. scribit Scholasticos quosdam putasse, indulgentias non esse antiquiores quadringentis annis, hoc est ante seculum duodecimum eas non obtinuisse; ergo verba illa Pauli male de indulgentiis explicantur.

R. N. *Cons.* Scholastici illi errarunt, quod non satis discernerent modum concedendi indulgentias sub certis conditionibus et operibus, qui a seculo duodecimo usurpabatur, ab usu ipso indulgentiarum, qui Ecclesiæ ipsi coœvus est. Nam certo novimus indulgentias concessas fuisse a Paschali II.,

Urbano II. in Concilio Claromontano crucem pro recuperanda terra sancta suscipientibus : a Gregorio VII. in epist. ad Episcopos Britanniae, et in epist. ad quosdam Fratres Monasterii Massiliensis : qui quidem seculo XI. sederunt: et ante hos a Sergio III. qui seculo X. inuenit, et a Leone III., qui expirante seculo VIII. vixerunt. Ac Waldenses quidem primi indulgentiarum hostes dicuntur : hi vero sub annum 1070. apparuerunt. Ex quo falsi convincitur Kemnitius, qui indulgentiarum usum anno 1200. coepisse scribit. Leonem quidem III. plures indulgentias concessisse testatur S. Ludgerus in epistola, quam refert Surius tom. 2. die 5. Mart. post vitam S. Swiberti c. 9. Bellarminus vero L. 4. de Indulg. c. 3. ait, Romæ in Ecclesia S. Martini in montibus extare memoriam in marmore excisam litteris antiquissimis indulgentiæ illi Ecclesiæ concessæ a Sergio II. qui circa medium seculi IX. sedet.

Imo jam a Gregorii M. ætate sat luculenta de indulgentiis notitia extat, quem plenariam indulgentiam concessisse refert fama publica tum Romæ, tum aliis locis, S. Thomas in 4. d. 20. q. 1. a. 3. quæstiune. 2., Altissiodorensis, aliquie Scholastici septennem ab eo indulgentiam concessam fuisse aiunt.

*Inst. 2.* Cum Patres scribunt se remittere poenas pro peccatis debitas, non intelligi eos oportet de poenis debitibus in foro divino, sed de his tantum, quæ debentur in foro Ecclesiæ; ad hoc enim significandum in decretis Pontificum additur, *de injunctis penitentis*: ut c. *Cum ex eo*, et c. *Nostro*, de Poenit. et Remis., et in Clement. unic. de Reliq. et venerat. SS. Ergo.

R. N. *Ant.* Sicut Episcopi remittebant poenas ab Ecclesia definitas, quando ad bonum animarum expedire censebant: ita videntur etiam remisisse poenas apud Deum definitas, quando id fieri oportebat, cum potestas ligandi et solvendi de se omnia complectatur. Deinde cum poenæ illæ impositæ fuerint non solum ad satisfactionem Ecclesiæ, sed etiam ad compensationem delictorum, non videntur fuisse remissæ, quin alia via compensaret satisfactio seu remissio poenæ apud Deum. Unde CYPRIANUS epist. 4. dicit, ideo has remissiones ad preces Martyrum vel aliorum fidelium fieri, *quia auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt*; indicans, satisfactiones istorum per modum suffragii prodesset lapsus apud Deum, ideoque eorum intercessione merito fieri remissionem apud Ecclesiam.

Denique impossibile est, Ecclesiam universam errare in re morali et gravissima ad bonos mores fidelium pertinente: atqui Ecclesia universa ita acceptat hunc indulgentiarum usum, ac de illo sentit, ut hæreticos aestimet, qui tales usum reprehendunt, seu hanc potestatem Ecclesiæ negant; ergo Ecclesia in hoc more indulgentiarum recte sentit, et conformat primitivæ Patrum traditioni.

*Inst. 3.* Apud antiquos Ecclesiæ Doctores græcos et latinos, quales sunt Chrysostomus et Augustinus, non invenitur expressa harum indulgentiarum mentio; ergo.

R. N. *Cons.* Non erat tunc opus, distincte harum indulgentiarum meminisse, tum ad persuadendum, tum ad defendendum fidem, nullo tunc hæretico indulgentias obtrectante: neque etiam propter mores fidelium componendos, eo quod rigor disciplinæ, ac fervor poenitentiæ tunc magis

vigeret. Unde etiam fortasse accedit, quod in primis Ecclesiæ temporibus rarus esset actus indulgentiarum, ut Sotus d. 21. q. 1. a. 3. in fine annotavit. Sufficiebat ergo Patribus antiquis declarare potestatem remittendi peccata et solvendi Ecclesiæ divinitus concessam, quin modos, queis Ecclesia ligare potest ac solvere, seorsim explicarent.

*260. Obj. III.* Si indulgentia tollit poenas temporales aut injunetas a sacerdote, aut injungendas per canones; ergo poenitens non tenetur ad poenam subeundam, quam sacerdos in tribunali poenitentiæ injunxit.

R. N. *seq.* Si poenæ a sacerdote injunctæ sunt medicinales, ab his Ecclesia non dispensat. Sed et caeteras sine gravi causa omittere nemini licet, tum quod nulli constet, utrum fructum omnem indulgentiæ perceperit; tum quod Ecclesiæ disciplinæ consulturi Pontifices in diplomatis indulgentiarum apponere soleant: *Injuncta salutari panitentia.*

*Inst. 1.* Canones poenitentiales non vigent amplius, et in sacramento Pœnitentiæ leviores solent injungi poenitentiæ; ergo in præsenti statu Ecclesiæ indulgentiarum usus fere nullus est.

R. N. *Cons.* Hoc ipso, quod leviores satisfactiones a sacerdotibus injunctæ impares sunt placandæ divinæ justitiæ, subsidium indulgentiarum nobis est necessarium.

*Inst. 2.* Ecclesia non potest a jure divino dispensare: atqui si poenas temporales divinæ justitiæ debitas relaxaret, dispensaret in jure divino; ergo.

R. D. M. Non potest auctoritate humana ac propria dispensare in jure divino C. nomine et auctoritate Christi N. Ita Paulus 2. Cor. 2. v. 6. ait, se donasse *in persona Christi*. Quanquam ne Ecclesiæ quidem indulgentia quæcumque poenitentem ab omni poena temporali et laboriosis operibus penitus eximat. Nam Paulus demum post exactam anni unius poenitentiam incesto illi residuum satisfactionis dimisit. Et S. CYPRIANUS Tract. de Lapsis, graviter expostulat cum iis, qui lapsi, ad Martyrum commendationem, sine prævia poenitentia, dabant pacem irritam et accipientibus nihil profutaram. Sed et BONIFACIUS VIII. Extrav. Antiquorum, docet, unumquemque plus mereri, et efficacius consequi indulgentias, qui Basilicas ipsas Apostolorum amplius et devotius frequentat. Quæ quidem confirmantur ex can. 5. Conc. Ancyran., et can. 11. Concilii Nicen. I. supra indic., ubi Episcopi arbitrio committitur, mitius tractare, ac tempus poenitentiæ abbreviare iis, qui ferventius in studium bonorum operum et ærumnas poenitentiæ incubuerunt. Accedit, quod indulgentiæ eximere peccatores non omnino possint ab onere poenitentiæ jure naturæ necessario: nam Luc. 3. v. 8. præcipitur: *Facite fructus dignos poenitentiæ*, et c. 13. v. 5. *Si poenitentiam non egereritis, omnes similiter peribitis*. Atqui poenitentiæ usus non tantum ob satisfactionem, sed etiam ad extirpanda vitia et cupiditates frænandas saluti æternæ est summe necessarius. Alioqui foverentur peccata, torpor et enervatio disciplinæ ecclesiasticæ irreperet, et hæreticis præbeatur occasio indulgentias ipsas petulantiis obtrectandi.

Denique si B. Paulus, Heb. 6. soli Baptismatis sacramento perfectam hominis renovationem attribuit, ita ut effectus idem poenitentiæ austeræ, etiam cum absolutione sacramentali junctæ, non nisi perraro contingat: tantum beneficium indulgentiæ bonis operibus et poenitentia congrua desti-

tutæ difficile adscribetur. Quapropter quas Ecclesia offert indulgentias plenarias, non continuo omnes assequuntur, sed illi duntaxat, qui cum egregio fervore ac pietate ad illas obtinendas sese disposuerint.

261. *Obj. IV.* Satisfactio Christi fuit infinita, ita peccatum, pro quo satisfecit, etiam erat infinitum; ergo cum in hoc diluendo satisfactio exhausta fuerit, nihil amplius superest.

R. N. *Ant.* Meritum et satisfactio Christi fuerunt infinita simpliciter, peccati vero malitia et offendio est tantum infinita objective et secundum quid, eo quod respiciat Deum objectum infinitum. Hinc Apostolus Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita et donum.* Et infra: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia;* nimis potentius fuit donum et passio Christi, quam peccatum Adami. Unde Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*, de penit. et remiss. scribit, unicam sanguinis Christi guttam propter unionem hypostaticam toti mundo reconciliando satis esse potuisse.

*Inst. 1.* Deus reddidit Christo cumulatum præmium pro passione: nam Philipp. 2. v. 8. dicitur: *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum;* ergo nihil superest, quod in thesauro Ecclesie recondatur.

R. N. *Cons.* Nec meritum Christi exhaustum fuit gloria corporis et exaltatione nominis, aut donis gratiae et glorie in homines collatis, cum fuerit infinitum. Passio autem in quantum satisfactoria, ipsi, qui peccare non poterat, nihil profuit, sed tota hominibus reservabatur.

*Inst. 2.* Si Christi satisfactio est infinita, ergo superfluæ sunt Sanctorum satisfactiones.

R. N. *seq.* Licet Sanctorum satisfactiones non sint absolute necessariae, utiles tamen sunt ad satisfaciendum: nam Christi satisfactio habet se ut causa universalis ac præcipua, satisfactiones autem Sanctorum tanquam causæ particulares in virtute Christi ad effectum indulgentiarum quodammodo concurrunt.

262. *Obj. V.* Indignum Christo est, infinitis ejus satisfactionibus modicas Sanctorum satisfactiones adjici, quo Sancti etiam præter Christum vocari possent nostri redemptores.

R. N. *Assert.* Si non erat indignum majestate Verbi humanae naturæ hypostatice uniri, cur indignum sit, satisfactionibus ipsius Sanctorum quoque satisfactiones adjici? atqui alii etiam in causis divinæ majestati rationes et actiones humanas adjunctas fuisse legimus citra indignitatem. Exodi 14. v. 31. *Israelites crediderunt Domino et Moysi servo ejus.* 4. Reg. 19. v. 34. ait Deus: *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum.* Act. 15. v. 28. scribunt Apostoli: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* 1. Cor. 3 v. 9. Paulus se cum Apollo, *Dei adiutores* appellat: et alios titulos et officia de se prædicat, quæ Deo et Christo propria videntur.

Quod si Christi precibus nihil indignum committunt Christiani pro aliis precando, neque satisfactionibus Christi fiet injuria, si quisque justus pro reatu proprio aut alieno satisfecerit: nimis satisfactiones nostræ omne suum pretium ac vigorem ex Christi meritis et gratia nanciscuntur: ac si quæ sunt residuae, tantum secundario et per accidens ad thesaurem Eccle-

siae concurrunt, qui primario ac essentialiter ex Christi satisfactionibus constat. Unde etiam appareat, cur solus Christus propriæ et absolute Redemptor noster dici queat: hic enim solus nos sua morte liberavit a peccato, quo captivi tenebamur, et omnem vim merendi ac satisfaciendi præstat.

*Inst. 1.* Sancti receperunt jam superabundantem mercedem laborum suorum. Luc. 6. v. 38. *Mensuram bonam, et confortam et coagitatam, et super-effluentem dabunt in sinum vestrum,* et Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam;* ergo.

R. N. *Cons.* Merita quidem Sanctorum superabundanti præmio compensabuntur: at satisfactiones, quæ non indigebant, in communis Ecclesiæ thesauro conduntur.

*Inst. 2.* Nihil Sancti fecerunt aut passi sunt boni, ad quod non tenebantur, secundum illud Luc. 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus;* ergo nihil superest, quod aliis communicent. Nam et prudentes virgines, Matth. 25. v. 9. responderunt fatuis: *Ne forte non sufficiat nobis et vobis.*

R. N. *Cons.* Christus ibi de sola observatione præceptorum loquitur, qua nemo debet gloriari; Deum enim illa nihil juvat, Job. 22. v. 3. *Quid prodest Deo; si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* Multa tamen fecerunt et pertulerunt Sancti, quæ præcepta non erant, quas satisfactiones pro reatibus propriis non necessarias Ecclesiæ thesauro reliquerunt. Virgines prudentes non loquuntur de satisfactione, sed de oleo gratiae et caritatis habitualis, quod uti ad salutem cuilibet est necessarium, ita nemo in alterum potest effundere.

*Inst. 3.* Si etiam ex justorum satisfactionibus indulgentiae conferunt remissionem poenæ; ergo ex eorumdem Sanctorum satisfactionibus, Missæ sacrificium et sacramenta dicentur talem remissionem præstare.

R. N. *seq.* Convenit plane, ut sacrificium Missæ et sacramenta, ceu primaria christiana Religionis fundamenta, ante ullius Sancti merita a Christo capite instituerentur, et ex illius solius influxu vim omnem et efficaciam participarent. At collatio indulgentiae, cum non sit actio sacramentalis, sed exercitium ministerii ecclesiastici pendens a potestate clavium, mutuæ caritatis officia ad exhibendam satisfactionem non respiuit.

*Inst. 4.* Pontifex sine expensione thesauri satisfactionum Christi et Sanctorum dispensat in votis; ergo etiam per potestatem a Christo sibi traditam potest proxime remittere poenæ, quin thesaurum illum aperiat.

R. N. *Cons.* Justitia vindicativa non exigit pretium, quo votum tollatur, exigit vero pro expungendo reatu poenæ, quam nequit immediate solvere Pontifex; sicut nec culpam sine sacramento remittere.

### ARTICULUS III.

#### CONDITIONES AD DANDAS ET LUCRANDAS INDULGENTIAS REQUISITÆ.

263. *Dico I.* Indulgentiae debent a legitimo dispensatore, justis de causis, et aliquo signo externo concedi, alioqui nullæ erunt.

1º. Opus est legitimo dispensatore, cujusmodi sunt summus Pontifex, qui